

1522 *malorum cives nostri, populi, qui in vestra tutela conquiescere debuerant, perpeSSI sunt? Videte quaeso, ne sero tandem suscepti vos consilii poeniteat; pacis, bellicue vobis optione oblata, hoc potius, quam illam amplexos esse. Quod ad me attinet, ita existimo Imperatoris postulatis aliqua in parte assentiendum esse, atque ex decreto Senatus Aduerno respondendum: Gallis rursus in Italiam ad Mediolanum recuperandum redeuntibus, vos illos pecunia, armis, commeatibus non adiuturos. Id sane ad pacem cum dignitate, atque utilitate firmandam maximo erit adiumento, atque ab illis vos malis servabit incolumes, quae (utinam falsus sim vates) nobis imminet, nisi, verbis relictis, quae dare difficile Imperatori est, quae mens Reipublicae insit, Hieronymo Aduerno aperuerimus. Cum a Trono peroratum esset, ita Georgium Cornelium Equitem respondisse ferunt.*

Georgii
Cornelii oratio.

Inficiari non possum, Senatores optimi, illos, qui hujus auctoritatem loci contingunt, cum suis consiliis gratum, ac plausibile pacis nomen praetendunt, quamplurimos in suam sententiam trahere; cum natura comparatum sit, ut omnes potius otii securitatem, quam laborum incertos exitus amplectantur; atque ii praesertim, qui bellorum difficillimos casus experti, calamitatem pertasi, nomina etiam praeliorum, ac certaminum perborrescunt. Verum illud summa attentione, atque industria inspicendum, ac providendum reor; ne nimio pacis studio, ac desiderio incensi in bellum eo periculosius ruamus, quo nonnunquam pax non minus grato, quam insidiis pleno nomine obtegatur. Quidquid per tot annos, tot laboribus, tot sumptibus vestra constantia, civium virtute subivimus, eo spectavit, ut tutam pacem consequeremini. Non enim ambitio, ut plerosque mortalium, transversos vos egit, ut regnandi cupidine bella ex bellis sereretur: at libertas cum hac civitate orta integre semper, inviolateque servata; imperium a vestris majoribus legitime partum, ut aliorum libidini, ac furori obsisteretur, justis armis vos induit. Hanc animis vestris opinionem insidere, eandemque omnes vos sententiam amplecti, & optime novi, & vehementer laetor: quae cum ita sint, quisnam ad pacem consequendam tutior aditus, an Troni sententia, vel potius Patrum Collegii decreto aperiatur, differendum est. Ille Caesaris